



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Remigii, Archiepiscopi Rhemensis: Francorvm Apostoli: Ex ea quam Hincmarus æquè Rhemensis Archiepiscopus conscripsit: additis & emendatis quibusdam ex C. Baron. Obijt sacratissimus Antistex ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

OCTOBER.
VITA S. REMIGII, AR-
CHIEPISCOPI RHE-
MENSIS: FRANCORVM
APOSTOLI:

Ex ea quam Hincmarus aequè Rhemensis Ar-
chiepiscopus conscripsit: additis & emendatis
quibusdam ex C. Baron. Obijt sacratissimus
Antistes nonagenarius sexennio maior Anno
Salutis quingentesimo quadragesimo quinto,
sedente Vigilia Papa.

Vide C. Ba-
ron in Nota.
ad Martyr.
Roman &

Tom. 6 An-
nal.

1. Octob.

que est dies
translationis
eius: Natalis
autem Idib.
Ianuar.

Montanus
monachus
insignis.

Eius effa-
sis.

POST terribilem illam scelerum
vindictam, quæ Galliarum cæde
facta est à Domino, prosequente
Vandalorum crudelitate, Gallia
mirabili Remigij natiuitate rur-
sus recreata fuit. Erat venerabilis quidam, ac
professione sua non minus quàm nomine di-
gnus Montanus monachus; qui in vita solita-
ria, à prophanorum hominum congressu ac fa-
miliaritate penitus seclusus, cælestibus sæpè
& angelicis fruebatur alloquijs. Is cùm nocte
quadam in oratione peruigil anxie pro pace
sanctæ Ecclesiæ, quæ multis ac diuersis apud
Galliarum & Belgicarum prouincias calami-
tatib. affligebatur, laboraret, & indefessis pre-
cibus omnipotentis Dei clementiam exdra-
ret: tandem leni, præ nimia lassitudine, oppres-
sus sopore, subito angelorū choris & beatissi-
marū animarū visus est sibi interesse cętibus;

A qui

qui humanæ salutis auidi, de Gallicanæ eccle-
fiæ deiectione querirabantur. Cumque varia
inter se crebro sermone cõferrent, subitò vox
à superioribus intonans adytis, gratulanda
huiusmodi suauissimè promulgabat sententiã:
Dominus prospexit de excelso sancto suo, Do-
minus de cælo in terram aspexit; vt audiret ge-
mitus compeditorum, vt solueret filios inter-
emptorũ: vt annuncietur nomen eius in genti-
bus; in conueniendo populos in vnum: & reges
vt seruiant ei. Cilinia in vtero concipiens, filiũ
pariet, nomine Remigiũ; cui à me saluandus
popul⁹ cõmittetur. Erat Cilinia insigni admo-
dũ pietate matrona: q̄ licet corpore in terris,
mente tamẽ in cælis versabatur; pepereratq; in
flore iuuetutis de vnico viro suo Aemylio Prin-
cipium, Sueffionum ciuitatis postea sanctum e-
piscopum: & fratrem eius, B. Lupi episcopi
eiusdem Principij successoris patrem: vtrum-
que haud vulgari sanctitate conspicuum. Vir
autem ille venerabilis, tanta consolatione ac-
cepta, Ciliniæ diuinum oraculum deuota mẽ-
tis hilaritate innotuit. At illa cum marito suo
Aemylio, ambo genere nobiles, sed effæto
corpore steriles, & ab omni concipiendæ spe
prolis prorsus exclusi, audito Montani fausto
nuntio hæserè animis: ægreque nimis dictis
eius fidem commodare potuerunt. Tum verò
Montanus, qui vtroque lumine orbatus erat,
vt, inquit ad Ciliniam, vera me nunciare scias,
tu ablactato infante, oculos meos tuo lacte
perunges, & ego eiusdem infantis meritis pri-
stinam videndi facultatem recipiam. His au-
ditis, pij parentes gaudio & exultatione reple-
ti haud

Psalm. 101.

*Ciliniæ ma-
tris Remi-
gij lam.*

*Aemylium
pater eius.
Principium
Sueffionum
Episcopus
eius frater.*

*Montanus
scdm.*

ti haud dubia spe prolem expectarunt: quam
 deinde Cilinia debito peperit tempore: cui Re-
 migij nomē in sacro fonte imposuit. Narus est
 aſit in pago Laudunensi anno Domini 449. alto
 parentum sanguine; multiplicib. à Deo meritis
 per Spiritus sancti gratiā decoratus. Nam abla-
 ctatus vasis sui oculos lacte matris, obstetricā-
 te matre, perungens, lumen illi diuina gratia
 restituit. Nec à mysterio vacare putandū est, q̄
 in chartis recenti tempore post illius obitum, &
 post plura annorū curricula, de reb. Rhemenſi
 Ecclesiæ cōscriptis, Remediū fuisse nominatū
 legimus. Porro primū disciplinarū capax fa-
 ctus est, studijs à pijs parentibus adhibitus, non
 modò natu maiores, ingenij foelicitate, discē-
 diq; ardore, sed & morū maturitate singulari,
 excelluit; cunctosq; admiranda cordis bene-
 uolentia sibi cōcilians, silentij & quietis ama-
 tor præcipuus, populorū vitabat frequentiam:
 in castro Lauduno prudēter delitescens; vt so-
 litarius addisceret, quod postmodum in cathe-
 dra populo prædicaret. Igitur cū in sancto si-
 lentio iustus adolescens Domino militaret, iā-
 que ad annum ætatis suæ secundum & vicesi-
 mum peruenisset, defuncto per id tempus * Ben-
 nadio Rhemenſi Archiepiscopo, fuit repente
 omniū votis ad pontificij culmen nō tam ele-
 ctus, quam violenter raptus. Et quidem quod
 ad ætatem eius minorem attinet, accidisse in-
 terdum cognoscitur: vt cum in aliquo emi-
 nentissima virtus atque scientia egregia cer-
 neretur, de eadem ratio minimè haberi sole-
 ret: vti videre est in S. Ioāne Chrysoſtomo: qui
 non nisi fuga sibi consulere potuit, nè eiunde m

*Natiuitas
 S. Remigij
 ex parentib.
 nobilissimis.*

*Montanus
 recipit vi-
 sum.*

*Remigius a-
 lias Reme-
 dium dictus.*

*Puer degit
 solitarius.*

** al. Genna-
 dio.*

*Huius vitā
 habet lectōr
 14. Septēb.*

A z ætatis

*Adolescent
vapitur ad
pontificatū:
anno Domi-
ni 471.*

*Eius electio
diuinitus
approbatur.*

*Diuinitus
ungitur.*

*Eximia eius
virtutes.*

ætatis Episcopus ordinaretur. Is verò his subitò depressus angustijs, cum nihil non moliretur vt tantum onus declinaret, pariterque antiqui hostis veritus insidias fugam cogitaret, placuit omnipotenti Deo manifestis indicijs, suum de eo monstrare iudicium. Nam cunctis, qui aderant, videntibus, subito noui luminis super ipsius verticem descēdit radius: quo diutius eum illustrante, sensit demum ipse suo capiti cælestem quendam infusum liquorem. Talibus igitur ac tantis diuinitus acceptis auspicijs, diutius voluntati cælesti reluctari nefas esse existimans, posthabita omni dubitatione, ancipitiq̄ue submota sententia, infulis se sacerdotalibus indui, atque in cathedra honoris collocari patitur.

Ea dignitate sublimatus, quo ordine cōmissum sibi officium, curamque animarum administrauerit, quis p̄ dignitate explicare queat? Inedia & vigiliarum ipse patientissimus, antè omnia pauperū inopiam larga manu subleuabat. Pabulum diuini verbi sedulus vbiq̄ue & omni tempore administrabat; profundis ignorantia & peccatorum tenebris miserè occæcatos, singulari ratione pietatis & doctrina illustrabat: denique omnibus omnia factus omnes, pariter consolari, omnes ad æternæ vitæ gaudia secum adducere studebat. Cum die quodā pastorali solertia ex more dicecesim suam peragraret, in vico fortè Calmaciaco inuenit hominem miserè quidem oculorum lumine priuatum, sed longè miserius occulti dæmonis infestatione, qui eum inuaserat, vexatum. Ibi vir sanctus, qui totus misericordia operibus deditus

rus erat, mox in terram prostratus, ac Domino
 pijs lachrymis supplex factus, & pristinum lu-
 men cæci oculis reddidit, & pestem immundi
 spiritus ab eo depulit, & opes vitæ degēdæ ne-
 cessarias pauperi assignauit. Alio quoque tem-
 pore in domo Sobrinæ suæ Celsæ, vasculū pe-
 nē vacuum, signo S. Crucis & oratione, vino a-
 bundare fecit. Hæc verò tam eximia viri sancti
 erga quemuis proximum charitas, quam fuerit
 Deo accepta, non erit abs re miraculis alijs,
 quibus eum Dominus in hac vita illustrauit,
 declarare.

*Cæci damo-
 niaci cura-
 tio.*

Cum aliquando Rhemorum ciuitas, surgen-
 tibus subito flammæ globis, incendio va-
 staretur, iamque tertiam ferè partem, fauillis
 extantibus, concrematio peracta consumpsis-
 set, victrixque flamma obuia quæque depalce-
 ret, Rhemigius antistes rei calamitosæ nuncio
 excitatus, mox ad orationem in beati Nicasij
 pontificis & martyris basilica (ibi namq; mo-
 rabatur) se prostrauit. Surgensq; deinde ab o-
 ratione, concito cursu per gradus petrarum, ci-
 uitatem petijt; statimq; extensa contra ignem
 dextera, cum Christi nominis inuocatione, si-
 gnū sanctæ Crucis expressit, totumq; illud in-
 cendiū, fracta & cōcisa atq; in sese relisa virtu-
 te, mirabiliter fugauit. Porro in ipsis petris im-
 pressa fuere viri sancti vestigia: q̄ hodieque ibi
 ad memoriā diuini miraculi demonstrantur.

*Incendium
 Rhemorū.*

*Signo Crucis
 profigat in-
 cendium.
 En rem uni-
 ram.*

Porro iisdem ferè temporibus regnabat in
 Gallia Aquitania Alaricus Gothorum Rex; qui
 quantumlibet Arianus esset, tamē sanctos An-
 tistites Catholicæ communionis coluit & fre-
 quentaui officijs: eos præsertim quos editione

Curat demoniacam & mortuam excitat.

Clodovei ad huc pagani reuerentia egerat S. Remigium.

miraculorum Deo gratissimos sentiebat: inter alios sanctissimum hunc Antistitem Regiū. Ad eum siquidem cuiusdam benedicti, sui regni nobilis viri filiam, dæmonio sæuo & tetra obsessam curandam misit: quam sacer præsul non solum à dæmone diuina virtute liberauit, sed & iam defunctam ad vitam reuocauit.

Eodem aut tempore quo vir sanctus cū magna sanctitatis laude populū sibi creditū pascebat, Clodoueus Regni Franciæ gubernacula tractabat; qui licet paganus & à Christi fide cū exercitu suo alienus multas deuastaret ecclesias, Remigium tamen ob celebrem miraculorum famam reuerebatur; eumque attentis sepe auribus de virtutum pulchritudine vitiorumque sceditate differentem audiebat. Quodam verò die secus Rhemorum ciuitatem castra mouens, regio edicto seuerè cauit, ne quis ciuitatem ingredi tētare; sollicitus videlicet, ne quid Ecclesia viri Dei detrimenti vel incommodi ab infideli populo pateretur. Accidit autem vt quidam, sprete disciplina militari, eandem ciuitatem intrarent, & inter alia ornamenta sacrilego ausu abrepta, vrceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis tollerent. Sanctus autem Remigius ea re haud mediocriter tristatus, ilicò suos ad Regem destinauit legatos, vt si alia ecclēsię vasa recipere non mereretur, saltem vel vrceum illum reddere iuberet. Rex hæc audiens legatos ad Suessionum vsque ciuitatē exercitum sequi iuber, illic haud dubiè, quod postularent, recepturos. Eò verò vt peruentum fuit, vniuersa præda in medium allata, Rex vrceum istū sibi donari postulauit.

Fuit

Fuit eius postulato, ut par erat, summa militum voluntate & reuerentia factum satis. Interim eorum vnus, incertum qua mentis temeritate, eleuata subito bipenni vrceum illum indignabundus percussit, dicens: Neque tu rex hinc quidquam accipies, nisi quod tibi fors vera donauerit. Eo hominis facto omnibus obstupefactis, rex preter opinionem iniuriam tulit patientissimè; acceptumq; vrceum nuntio ecclesiastico reddidit: ac dissimulata ira vindictam in tempus reseruauit. Transacto aut anno Clodoueus rex exercitus sui delectum habiturus, cum vires singulorum armaque lusteraret, venit ad hominem illum qui preterito anno bipennem in vrceum defixerat, aitque ad eum; Quid tu solus hic armis aded incultis ac sordidis appares? Neque clypeus, neque lancea, neq; bipennis utilis est. Simulque arreptam eius bipennem proiecit in terram. Cum autem ille inclinato corpore eam humi leuare tentaret, rex eleuata manu bipennem suam in caput eius validè defixit dicens: Quod tu anno superiori vrceo fecisti, hoc ipsum & ego nunc facio tibi. Nescio quid hic prius quidve magis in hoc rege admirari debeam; an eximiam beneuolentiam, qua rex ethnicus virum sanctum prosequabatur; an verò rarum patientiæ documentum, quo illatam à vilissimo milite iniuriam anno integro dissimulauit.

Post hæc Clodoueus decimo anno sui regni, Thuringiam sibi prouinciam subiugauit: indeque * Gundebaldi regis Burgundionum neptim, nomine Crotilde, insigni corporis specie puellam, & Christiana religione egregie imbutam,

Militis cuiusdam te ameras.

Nota supplicium hominis sacrilegi.

** Gundebaldi.
Clodoueus
Crotildem
dicit vxorē.*

A 4 inter-

*Ingomirus
Clodouei pri-
mogenit fi-
lius mori-
tur.*

*Nota, in Al-
bis.*

** Ingomer.*

*Clodomirus
nascitur.*

interueniente Aureliano consiliario suo, sta-
bili sibi matrimonio copulauit. Illa verò gra-
uida facta, cum filium enixa esset, velletque il-
lum modis omnibus Christiano ritu lustratū,
rex totis viribus reluctabatur: sed regina orando,
obsecrando, & Christum illi assidue prædi-
cando tandem obtinuit, vt natus infans expia-
retur. Qui baptizatus & * Ingomirus de nomi-
ne vocatus in Albis vita functus est. Vndè rex
tristitia pariter & ira repletus, mortis causam
reginæ imputabat; impio mentis errore sibi
persuadens, irata deorum numina infantem,
quod Christo nomen dedisset, ea poenâ mul-
tasse. At regina nullo animi dolore ex morte
filij, quem ad cælestia regna translatum scie-
bat affecta, postea aliam genuit prolem, cui si-
militer sacro fonte lustratæ Clodomiri nomen
imposuit. Is verò Clodomirus paulò post haud
leui infirmitate correptus sopitum patris re-
nouabat dolorem, stimulabatque acriter, vt
Christum maledictis insectaretur: ac si ab eo &
mors & morbus in filios deriuassent. Caterùm
pietissima regina Domini misericordiam in-
stanter implorans, breui laboranti filio sanita-
tem impetrauit; regemque deinde opportunè
importunè admonuit, obsecrauitque, vt tan-
dem aliquandò Christum indueret: eumque
verum & solum cæli terræque Dominum agno-
sceret. Sed non poterat regis animus ad fidem
commoueri, donec tandem aliquando extrema
belli, quod contra Alemannos Sueuorumque mo-
uerat, calamitate oppressus, omni que auxilio
destitutus, ab ipsomet Christo opem flagitare
est coactus.

Factum

Factum est enim ut Franci cum Alemannis & Sueuis bello decertates, spectante sane magno cum animi sui dolore rege, foede terga verterent, hostilique ferro concisi ruerent. Cumque Rex inops consilij de fuga cogitaret, Aurelianus eum intuens; Quin, inquit, Domine mi rex credis in Christum, quem tibi regina assidue praedicat? certus praesens tibi ab eo affuturum auxilium? Ille vero eleuatis in caelum oculis, commotus in lachrymas ait: Iesu Christe, quem Crotildis filium Dei viui praedicat, tuum adiutorium deuotus postulo: spondens me tuo ex animo crediturum nomini, si fuis fugatisque hostibus victoriam dederis. Cumque haec lachrymabundus oraret, Alemanni in fugam versi, terga dederunt; caesoque rege suo, Clodouei potestati se subdiderunt.

Bellum inter Francos & Alemannos.

Clodoneli adhuc pagani ad Christum preces.

Alemanni succumbunt.

Clodouei conuersio.

Franci credunt.

Tunc vero regina Clodoueam regem caelesti ornatum victoria, laetabunda excipiens, hortari instantius ut Christi potentiam agnoscat, illique confestim salutare fidei obsequium exhibeat. Nec diutius recusauit rex; quin potius supplex a Remigio salutis monita postulans, ipsum quoque populum sibi subditum ad Christianam inuitauit sacra: cunctosque permouit, ut excusso infelici daemorum iugo, Christo, libenter sua nomina darent. Igitur rege iam tota mente in Christianam religionem propenso, Remigius pridie illius diei, quo rex sacro fonte lultrandus erat, regij cubiculi ostium pulsaturus accessit; quo benignè admissio, mox pontifex, ut per alta silentia noctis, regi, alijs curijs absoluto, liberius sacra diuini verbi committeret mysteria, cum cum regina paucisque familia

A § familia

*Vox cælitus
auditur, lu-
men itē ap-
paret & o-
dor suauissi-
mus percipi-
tur.*

*Nota veue-
ventiam.*

*S. Remigius
prophético
spiritu cla-
rum.*

*Chrisma cæ-
litus adfer-
tur.*

miliaribus in oratorium Principis Apostolorum, quod regio cubiculo contiguum erat, introduxit. Ibi positus sedilibus, cum verba salutis magna cum pietatis significatione exorsus esset, repente lux copiosa totam replevit Ecclesiam, & è luce vox pariter intonans: Pax, inquit, vobis; ego sum, nolite timere: manete in dilectione mea. Et post hæc verba, luce ab oculis omnium sublata, incredibilis odor suauitatis eadem in domo remansit: prorsus ut auctorem pacis ac lucis illuc venisse, nemo dubitaret.

Rex verò & Regina salutari timore perculsi, mox pedibus venerandi antistitis prostrati, magno cum gemitu consolationem eius requirunt. Quibus ille optimè sperare iussis, multa prophetico spiritu futura prædixit; diligentissimeque interim regem cathedra instruxit. Inde ubi dies baptismo designatus adfuit, rex cum suis, pompa regia magnificentia ac tanto gaudio dignissima, ad fontem deductus fuit. Ibi tunc nutu plane diuino chrisma deesse cõpertum est. Nam, ne tam præclara regis conuersio miraculo careret, cum Clericus qui chrisma deferebat, à populo interceptus ad fontem venire nequiret, ac propter populi pressuram nulli omninò egressus ingressusque pateret Ecclesiæ, Põtifex oculis ac manibus in cælum protensis, tacitè cum lachrymis orare coepit. Et ecce subito columba niue candidior, attulit in rostro ampullam, chrismate sancto incredibilis fragrantia repletam: quam simulac sanctus antistes in manibus sumpsit, species columbæ euauit; cunctus-
que

que populus ad rei nouitatem vehementer obstupuit. Rex verò viso tanto miraculo venerabundus ad fontem processit: expiatusque lauacro, sacro chrismate pariter ad luctam spiritalem est inunctus. Eius exemplo cæteri prouocati, tria virorum millia de exercitu eius, exceptis paruulis & mulieribus, eodem die lustrata sunt. Albofredis quoque & *Lan- dehildis regis sorores eandem baptismi gratiã

*Rex bapti-
zatur.
Vngitur
Chrismate.*

*Item tria ho-
minum mil-
lia & soro-
res Regis.
* Lanthildis*

Baptismate lustratus Rex, mox in Remi- gium munificus, plurimas per varias prouin- cias ei tradidit possessiones; quas vir sanctus ne attingere quidem voluit, sed diuersis affig- nauit Ecclesijs, prudenti vtique consilio; ne ex Christi Euangelio, turpis lucri cupidus, non a- nimarum salutem, sed diuitiarum iniquitatem quærere videretur. Cuncta quoque quæ fue- rant belli tempore Ecclesijs ablata restitui cu- rauit: assignauitque iisdem alia magni pre- tij bona Rex iam factus Christianus. Ijs igitur possessionibus Ecclesiam S. Mariæ in castro Laudunensi imprimis locupletauit, bonisque omnibus mirificè efflorentem reddidit. Ad- ministrabat autem eam parochiam Genebal- dus, vir cum generis dignitate, tum diuina- rum humanarumque rerum cognitione val- de conspicuus; qui ducta prius in matrimo- nium nepte ipsius Remigij, vitam deindè re- ligiosam, magno vtique coniugis consensu, expetierat, & Laudunensem parochiam antistes administrandam susceperat. Sed accidit vt is idem, parum de vitandis hostis insidijs solici- tus, post sanctum diuortium, eandem quasi

*Existimant
nonnulli Clo-
doueum Re-
gem in Bap-
tismo dictũ
esse Ludou-
cum.*

*Historia Ge-
nebaldi E-
piscopi nota-
tu digna.*

pro

pro instructione salutarij frequentius se visita-
re permitteret: sicque demum vxoris delinens
blanditijs ad carnalem copulam rediret, filiū-
que ex coniuge susciperet. Postmodum verò
conscientia stimulis doloris concitata, gemens
dolensque factum damnauit; & quia nimio se
pondere premi cernebat, tandem archipræsul-
lem Remigium aduocauit, vt, quemadmodum
prætendebat, exortas Lauduni causas quasdam
grauiores per se diffiniret. Adfuit mox voca-
tus Remigius, debitaque cum reuerentia à Ge-
nebaldo exceptus, intellexit protinùs ex viri
lachrymis & singultibus, quod enormi aliquo
esset delicto obstrictus. Cumque Genebaldu
penè desperabundus crimen protulisset, Remi-
gius ne abundantiori tristitia pœnitens absor-
beretur, mirabili lenitate medicam illi manū
porrexit; hortatusque pœnitentiam, tugurio-
lum ei cum lecto instar sepulchri assignauit;
claustroque reuinctum septem annorum pœ-
nitentiam damnauit. Interea Remigius
Ecclesiæ eius cura in se suscepta, vtrique
populo diuini verbi pabula administrabat;
& vna quidem Dominica Rhemis, altera ve-
rò Lauduni Missarum celebrabat solennia.

*Nota pœni-
tentiam tan-
ti viri.*

Cæterum septimo iam indictæ pœnitentiæ
anno, pridie illius diei, qua Ecclesia Dominicæ
coenæ recolit memoriã, cum Genebaldu
pernox in oratione profusis lachrymis delictū
suum deploraret, adest subitò angelus Domi-
ni, admirabili fulgore coruscans; ac humi pro-
stratum pœnitentem his verbis solatur: Exau-
ditæ sunt pro te patris tui Remigij orationes.
Dimissum est peccatum tuum. Surge igitur, &
assum-

*Eccè pœnitē-
tiæ virtutē.*

assumpto Episcopali ministerio, Domino pœnitentes reconcilia, Genebaldus nimio terrore perculsus, cum rursus angeli voce animaretur tandem ait: Non possum hinc egredi, quia pater meus Remigius ostium hoc suo muniuit sigillo. Et rursus ad eum angelus: Vt, inquit, nō dubites, me à Domino missum, sicut patet tibi cælum, sic & ostium istud patebit. Et statim saluo sigillo ac sera, ostium refferatum est. Tunc Genebaldus in modum crucis in limine prostratus, cum lachrymis exclamans ait: Etiam si ipse Dominus meus Iesus Christus ad me peccatorem venire dignatus fuerit, pedem foras nō efferam, donec ille, qui me in in eius nomine, hoc ergastulo conclusit, aduenit.

Nota eximium contriti cordis exemplum.

Dum hæc fierent beatus Remigius pernox Rhemis in precibus, ab eodem angelo paulō post rem totam est edoctus, admonitusque vt Laudunum peteret, & Genebaldum pristinae dignitati atque officio restitueret. Nec mora. Gaudio incredibili perfusus, confestim ed tendit, cunctaque ex mandato angeli fideliter peregit: & Genebaldus deinceps cum magna sanctitatis laude munus suum administravit.

Genebaldus restituitur sedis sue.

Cæterum Rex Clodoueus (quem alij in fonte saluari Ludouici nomē assumpsisse volunt) indigno ferens animo Gothos Arianos optima Galliarum partem occupare; religionis zelo permotus, eos è regno exturbare cogitabat. Ipso autem expeditionis exordio, prudenti consilio Reginae vsus, insignem basilicam in honorem Apostolorum Petri & Pauli Parisijs curauit

Pietas Clodouei Regis.

** Aureliani.
En humili-
tatem tanti
Regis.*

*En infigne
miraculum.*

*Gothi vixti à
Clodoueo
Rege.*

*Munificentia
Regis Clodo-
uei Hormif-
dam Papam
creatum.*

curauit ædificari; pugnaturus siquidem aduer-
sus hæreticos, iure sibi Principis Apostolo-
rum eo munere conciliandos putauit: ut-
pote validissimos, aduersus impios propu-
gnatores Ecclesiæ. Hortamine quoque bea-
ti Remigij * Aurelij Episcoporum Synodum
conuocauit: in qua multa Ecclesijs vtilia
constituta fuere. Demum ad debellandos
hostes pergens: benedictionem à sacro An-
tistite petijt. Quam cum Regi beatus Re-
migius largitus esset, & victoriam in ver-
bo Christi spondisset, dedit & illi vtrem
vino à se benedicto plenum: præcipiens il-
li, vt tam diu ad bellum procederet, quam
illi & suis, quibus indè dare vellet, vinum
de vasculo non deficeret. Bibit ergò indè
Rex ac regalis familia, & numerosa turba po-
puli; & ex indè vberimè satiantur; & vascu-
lum vini detrimentum non patitur: sed bene-
dictione Dei per beatum Præsulem indita, mo-
re fontis inundatione repletur.

Inito itaque prælio cum Gothis, iisdem fu-
gatis, & Alarico eorum Rege interfecto, mul-
tisque ciuitatibus suæ ditioni subiugatis, Clo-
doueus Rex cum opimis spolijs & glorioso
triumpho tandem ad propria redijt.

Multo verò post tempore sanctissimo Pa-
pa Symmacho felicissimè vita functo, Hor-
misda summa cleri Romani concordia ad Ca-
thedram Pontificalem sublimatus est. Quod
cum beato Remigio innotuisset, Christia-
nissimo Regi persuasit, vt nouo Pontifici
coronam auream cum gemmis (quæ regnum
appel-

appellari solet) ad honorem beati Petri, dirigeret. Sed & ipse S. Remigius literis suis nouum Romanæ Ecclesiæ salutauit Pontificem. Ad quem idem rescribens; illi ob præclaram, meritorum excellentiam & nobilissimæ sedis prærogatiuam, vt in Francorum regno vicem gereret ipsius Romani Pontificis, dedit: excellens sanè amplissimæ dignatis munus & præfectura.

*Excellent
dignitas
collata S.
Remigio ab
Hormisdæ
Papa.*

Et quidem Hormisdæ acceptis literis S. Remigius nihil cunctatus, generalem Synodum colligendam curauit: ad quam conuenire Episcopi Galliæ ac diuersarum prouinciarum. Erant autem Gallicanæ Regionēs ob Gothos Arianos, qui ibi regnarent, nonnihil eius hæresis labe conspersæ: quamobrem sanctissimi Episcopi in illud præcipuè incubuerunt, vt fidem Catholicam ab ea contagione liberam conseruarent. Coacto igitur Rhemis sacro Patrum conuentu, accidit vt inter filios Dei (vt est in Iob) & satan quoque asfistere præsumperit; nimirum Arianus Episcopus: qui tanquam nouus Goliath, exprobens agminibus Dei viuentis, prouocansque eos ad singulare certamen, strenuus perfidiæ propugnator, superbiaque inflatus, Catholicis omnibus insultabat. Sed exurrexit ex aduerso non iuuenis rursus aspectu vt Dauid, verum veneranda canicie sanctissimus senex Apostolicus vir Remigius; eiusque factum mirabiliter compressit, atq; victum ad Christi fidem perduxit.

*Synodus
Gallicana.*

Iob, 1.

1. Reg. 1.

Cum

*Mirabilis
conuersio cu-
iusdam A-
riani Episco-
pi.*

Cum siquidem Episcoporum Concilium ingrederetur, & à multitudine Patrum expectatum, assurgentes omnibus reuerenter, sicut Angelus Dei susciperetur S. Remigius; vnicus ille nimis elatus hæreticus, & malè de viro Dei sentiens dedignatus est ei assurgere. Et quidem ille, simul ac sanctus Præful antè eum transijt, ita obmutuit, vt nec verbum quidem vllù effari potuerit. Magnum planè miraculum, garrulam linguam & petulantem, quæ Dei filium iugiter blasphemarat, solo transitu compressisse; vinculis inuisibilibus obligasse: atque intrà dentium claustra arcto carcere obserasse. Expectantibus etenim omnibus, vt post allocutionem B. Remigij hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui: sed ad vestigia sancti viri pronus cadens nutibus veniam petijt. Cui sanctus dixit; In nomine Domini nostri Ihesu Christi verè filij Dei viui, si ita de eo ratè sentis, loquere: & de illo sicut Catholica credit Ecclesia, crede & confitere. Ad cuius vocem antè superbus hæreticus, humilis iam & Catholicus, Catholicam fidem de sancta & inseparabili Trinitate, & de Christi incarnatione Catholicè confessus est; & in eadem confessionis fide se permanfurum professus est: Sicque animo per infidelitatem perduto & corporali voce propter superbiam condemnato, virtute diuina S. Remigius & animæ & corporis reddidit sanitatem.

*S. Remigius
ad tempus
cæcus.*

Ceterum post præmissas & alias multas admirandas operationes S. Pontifex, oculorum corporalium lumine à Domino est priuatus: vtique vt mentis oculis intentius quæ superna sunt

sunt (ad quæ toto anhelabat desiderio) cõtem-
plari valeret; quod tamen lumen vir sum-
mæ patientiæ antè mortem iterum à Domino
recepit; gratus Deo in omnibus tam ad-
uersis quam prosperis: utpotè quem nulla
calamitatis tempestas vel latum vnguem ab
amore diuino dimouere poterat. Recepto
lumine non multo post cum iter illud ad cæ-
lestem patriam sibi optatissimum instare in-
telligeret, condito testamento & rebus Ec-
clesiæ suæ ritè ordinatis, omnibus sacrosancto
Missæ sacrificio, ac sacræ cõmunionis largitio-
ne pacè & salutem à Domino postulàs, ex cor-
poris ergastulo foeliciter emigravit: postquam
in Episcopatu annos septuaginta quatuor san-
ctissime exegisset. Corpus eius fuit in sacello
S. Christophori (nam alio moueri non po-
terat) vbi est altare sanctæ Genouefæ sacrum,
quæ huic sanctissimo Præsuli familiarissima
extitit, honorificè tumulatum. Sepulto ibi-
dem aliquamdiu corpore, cum in eadem Ec-
clesia multa & stupenda eius meritis coru-
scent miracula, visum est cunctis structu-
ram illam nouo opere dilatari, modisque o-
mnibus in honorem sancti Antistitis adorna-
re. Exstructa iam & adornata Ecclesia eum in-
nouam cryptam retrò altare, sanctissimū cor-
pus trāsferre vellēt, nullaq; id, ut prius, vi, suo
loco mouere possent, tandem nocte, cū cunctis al-
to sopore oppressis, inuētum est subitò Ange-
licis manibus ibidem decenter positum.

Ceterum trecentis plus minus annis post
hanc, anno nimirum Incarnationis Domini-
cæ 852. secunda sacri huius Antistitis corporis

B

trans-

*Recipit lu-
men antè
mortem.*

*Fœliciter
decedit no-
nagenarius
sexennis.
Locus sepul-
ture eius.*

*S. Genouefæ
vitam repe-
riet lecto 3.
Ianuar.*

*Claret ad-
mirandis st-
gnis post obi-
tum S. Re-
migius.*

*Translatio
corporis e-
ius hoc die
ab Augelis
facta.*

*Secunda
translatio
S. Remigij
quando &
qualis.*

translatio facta est : adhuc ampliata ipsa Ec-
clesia . Cumque de loco cryptæ prioris, se-
pulchrum vna cum B. Remigij corpore trans-
ferretur in cryptam maiori & pulchriori o-
pere factam , ipsum sanctissimum corpus o-
mninò incorruptum inventum est ; ac in
locello argenteo transpositum ; sepulchro
marmoreo in quo antè iacuerat superpositum:
etiam tunc sicuti & antè multis & insignibus
miraculis coruscans.

*Lib. 1.
Epist. 7.
Lucubrati-
ones S. Remi-
gij periere.*

Quod ad lucubrations eius attinet , eas
excellentes admodum fuisse styli , videre est
ex testificatione Sidonij Apollinaris viri do-
ctissimi ac istius seculi Gallicanorum scripto-
rum ornamenti. Verum (proh dolor) nobis ijs-
dem haud frui licet; eò quod viuens vir sanctus
præ animi summissione eas obliuione potius
obruere voluit, quàm perpetuitati dicare.

Versus inscripti sepulchro S. Remigij.

*Hic famulus Hincmar Domini, sacra membra lo-
cauit*

Dulcis Remigij: ductus amore pio.

*Qui prius est sanctus, mundo quàm matre creatus:
Et magnus dictus calitus ore Dei.*

*Bis denos binosq; gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus.*

*Sexaginta simul bis septem manserat annis,
Istius vrbis honor, præsul & orbis amor:*

*Vitam defunctis reddens; quoque lumina cæcis:
Egerat & viuens plurima mira satis.*

Nam

Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus, *Epitaphium S. Remigij.*

Sicambra gentis Regia sceptris sacrans

Nonaginta quidem sex cum compleuerat annos:

Splendida lux nostras deseruit tenebras.

Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet:

Emeritus miles premia digna capit.

* al. Al-
uinus.

VITA S. BAVONIS, QUI PROPRIO

Vide 8.

nomine dictus est* Alloynus. Ex ea quā Theodo-

Tom. C. Bar.

ricus Abbas S. Trudonis conscripsit. Migravit

Annal. &

è corpore anno Domini 631. Honorij Pape 6.

Not Martyr.

GLORIOSVS Dei athleta Alloyn^o, cog-

Roman.

nomento Bauo, in Gallia Belgica pago

Item Ioan.

Hasbaniensi oriundus, patrem habuit *

Molen. in

Eilolphum Hasbanię, Comitem fratrem patrue-

Ind. SS.

lem Carolomanni matrem Adelthrudę: parētes

Bellgij.

claro in primis stemmate & diuitiarum gloria

1. Octob.

valde illustres. Tale igitur generatus stirpe Al-

* Agilulph^o.

loynus, Austrasiorum Ducum hæres, cum adole-

Patria &

uisset primū militauit sub Imperatore Mauri-

parētes eius.

tio, deinde sub Regib. Fracię & Austrasię. Por-

rò vxorē duxit nobilissimis æquę ortā natali-

bus, Comitiss Adilionis videlicet filiam; quę

Agiltrudis

grauida facta filiam enixa est, insigni postmo-

filia Bauo-

dum castitate virginem, Algethrudem nomi-

nis.

ne; quę admiranda sua sanctitate ipsis quoque

parentibus sanctioris vitę viam aperuit.

Nam eius potissimum exemplo prouocatus

En mutatio.

Alloynus pater, animū à terrenarum rerū cu-

nē dextera

ris ad cęlestia paulatim inflectere: prorsus

excelsi in

vt tandem virtutum pulchritudine suauitate

Bauona.

que allectus, mūdum eiusq; gloriā penitus de-

spiceret, totaq; mentis auiditate ad Antiorū